

Paul Christian Henrici

De Stvdio Homerico Provsio ...


Tertia : A. D. XV. Aprilis Ab Hora XI.

Altona: Ex Officina Schmidiana, MDCCXCI.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1701038579>


Band (Druck) Freier  Zugang





Kp - 395 (3)
K.p - 395 (3.)





DE

STVDIO HOMERICO /3/

PROLVSIO TERTIA

QVA

VLTIMAS ORATIONES

QVORVNDAM

CHRISTIANEI ACADEMICI

CIVIVM

A. D. XV. APRILIS AB HORA XI.

RECITANDAS

INDICIT

PAVLLVS CHRISTIANVS HENRICE

REGIS A CONSILII IUSTITIAE

ELOQ. ET POES. P. P. GYMNASII DIRECTOR.

ALTONAE

EX OFFICINA SCHMIDTIANA

clō 1ō ccxcl.

DE

STVDIO HOMERICO

PROVSIO TERTIA

QVA

VLTIMAS ORATIONES

QVORVNDAM

CHRISTIANEI ACADEMICI

CVIVM

A. D. XV. APRILIS. IN HORN. XI.

RECITATAE

INDICIA


CHRISTIANEI ACADEMICI

IN HORN. XI.

RECITATAE

CHRISTIANEI ACADEMICI

INDICIA



Duabus de **STVDIO HOMERICO** prolusionibus vt tertiam putarem adiciendam, effecit Iuuenum nostrorum, plerorumque certe, laudabile studium, quod adiuuari etiam aliquae posse videretur repetendis animadversionibus nonnullis, quas in Scholis Homericis ad reliquos Iliadis libros attuliffemus. Et debebatur illorum diligentiae enarratio vniuersae Iliadis eiusmodi, quae non summam solum exhiberet, quam habet editio Ernestina, sed quae totum illud in partes quasdam minores tribueret, et has rursus per temporis interualla distingueret. Odyssaeam quidem non incommode visus sum per tetradas, quas fabula ipsa suggessisset, disposuisse. In Iliade aliam mihi viam censui ineundam, nimirum illam, quam Homerus ipse, qui subinde dies exortos noctesque secutas, dierum etiam numerum commemoret, in disponenda rerum gestarum serie videtur indicasse. Equidem in hac *ἡμερολογία*, cum dierum rationem non omnes simili modo ducant, auctorem sequar, quem sollerter hac in re versatum video, Popium, qui temporis in Iliade summam septem et quinquaginta dierum spatio distinxit. Denique, ad tanto melius discernendam rerum agendarum varietatem, in hoc certaminum veluti theatro, Scenas quoque, h. e. loca, in quibus actores egerunt, notabimus.

IV

Iam decimus annus erat, ex quo Graeci ad Troiam fuerant, variisque per Phrygiam excursionibus, dum Troiani suis se moenibus continerent, oppida diripientes, inde praedas egerant. Achilles, expugnata Theba Phrygiae, Chryseïdem puellam; vastata Lyrnesso, cognatam illius Briseïdem, caeso marito, abduxerat. Illa, cum praedae distribuerentur, data erat Agamemnoni; haec Achilli. Sed ut belli Troiani causa fuerat Helena, sic irae, qua Achilles exarsit in Agamemnonem, causa nulla culpa sua fuit haec ipsa Briseïs. Hanc ab Agamemnone, qui Chryseïdem suam ad patrem remitteret, sibi per ignominiam eripi aegerrime patiebatur Achilles. Atque haec ira est, non belli Troiani historia, quam poeta quatuor et viginti libris cecinit.

Sit ephemeridis nostrae per dies LVII ducendae

Dies primus.

Lib. I. Scena rerum est ab initio quidem in Graecorum castris ad litus, post Chrysaë, vrbe Phrygiae, v. 430, denique in Olympo.

In castra naualia venit Chryses, Apollinis sacerdos, filium redempturus: cuius, ab Agamemnone contumeliose repulsi, precibus immissa ab Apolline lues per *dies nouem* infestat exercitum.

Dies decimus.

Habetur concio v. 54 sqq. in qua lites inter Peliden et inter Atriden agitantur, quae cum componi a Nestore non potuissent, ex Achillis tentorio abducitur Briseïs. Sequuntur *dies duodecim*, quos festos cum apud Aethiopas egisset Iupiter v. 493: a reuerso Thetis ultionem Achilli filio impetrat, ut, dum ipse a bello cessaret, Graeci a Troianis vincerentur. Ita quidem liber primus dies viginti quinque complectitur. Sequitur

Dies

Dies vicesimus tertius.

Lib. II. Scena est in Graecorum castris, dehinc tum Troiae, tum prope urbem.

Nocte diem hunc antegressa monitus Agamemnon misso a Ioue somnio, vt copias educat, exorto die eas instruit absente cum suis Achille. Iride nuntia armantur et Troiani. Vtriusque exercitus duces subiunctis catalogis v. 494 sqq. v. 816 sqq. recensentur

Lib. III. Scena modo in campis suburbanis, modo in vrbe.

Mox in aciem vtrinq̄ue proceditur. Paris cum Menelao, interposito de Helene vel retinenda vel reddenda foedere, certamen singulare init. Victus eripitur a Venere et in urbem defertur amplexibus Helenae recreandus. Ceterum potest liber in particulas quinque distingui: quarum summa capita exquirat diligentior iuuenis.

Lib. IV. Scena in campo ad Troiam.

Foederis vim vulnerando Menelao cum irritam fecisset Pandarus quidam, Iustratis ab Agamemnone virorum ordinibus, *primum* post monomachian superiorem committitur *praelium* v. 446 sqq.

Lib. V. In illo maxime eminent fortitudo Diomedis, vulneratis, praeter alios, etiam Venere et Marte. Hinc liber inscribitur *Διομηδὸς ἀριστεία*.

Lib VI. Scena primum est inter Simoëntis et Scamandri fluenta, post in vrbe.

Ac prior quidem episodium habet amicitiae sensum excitans, quo Glaucus ac Diomedes, auita hospitalitate cognita, arma permutant; posterior pietatis et tenerrimi amoris exemplum praebet, dum Hectorem sistit matronas supplicare Palladi iubentem, et Andromachae suae vltimum vale dicentem.

Lib. VII. Scena in campo permanet.

Reuersus ex vrbe Hector cum ad pugnam singularem prouocasset Graecorum quemque fortissimum, fortito cum eo pugnat Ajax Telamonius. Nestor consilium dat de sepeliendis mortuis et de muro classi circumdando.

Dies vicesimus quartus.

Oblatas a Troianis per praeconem inducias accipiunt Graeci, spretis conditionibus reliquis.

Dies vicesimus quintus.

Mane colliguntur concremandi caussa vtrinque caesi. Hoc ipso die et postridie in perducendo muro fossaque occupati sunt Graeci.

*Dies vicesimus septimus
cum nocte sequenti.*

Lib. VIII. Scena (siquidem a deorum, primum Iouis, post Iunonis et Palladis, interuentu, v. 350 — 483. discesseris) superior manet.

Exorto die Iupiter in deorum concilio edicit, ne quis caelestium alterutri parti opem ferat. Committitur *praelium secundum*, in quo Graeci, deorum auxilio destituti, male pugnant noctis interuentu feruantur. Per illam noctem Hector excubias extra urbem agi, ignesque incendi multos iubet, ne per tenebras conscensis nauibus Graeci aufugiant.

Lib. IX. Scena est in castris naualibus Graecorum.

Timore fractus Agamemnon de reditu in patriam serio cogitat. A quo eum ita deterret Nestor, vt legatos mitti ad Achillem iubeat, qui de eo reconciliando agant. Mittuntur; sed re infecta redeunt.

Lib. X. Scena in castris tum Graecorum, tum Troianorum, nocturnam expeditionem exhibet.

Sci-

Scilicet eadem nocte ad Troiana castra speculatores abeunt Diomedes et Vlyffes: quo cum irreplissent, interfecto Rhefo, equos eius abigunt.

Dies vicesimus octauus.

Lib. XI. Scena est in campo prope Ili monumentum.

Successu illo nocturno erectus Agamemnon exorto die *praelium tertium* committit tam fortiter, vt liber hic *Αγαμεμνονος αριζεια* inscribatur. Vulnerantur fere omnes Graecorum duces, in illis Machaon medicus: quem quod agnouisse sibi visus esset Achilles, sciscitatum mittit Patrolem. Quod huic, dicente Homero, *κακισ πελεν αρχη*.

Lib. XII. Adducuntur in eas angustias Graeci, vt primum pro muris pugnare cogantur, ac ne hos quidem defendere sustineant, Hectore, portis murorum effractis, in naues irrumpente.

Lib. XIII. Scena est inter muros Graecorum et litus.

Committitur *praelium quartum*: in quo Graecis auxilio venit Neptunus, amplius etiam, nisi Iupiter vigilasset, adiuturus. Ceterum quae liber hic et superior habent, intra duas horas euenisse Daceria animaduertit.

Lib. XIV. Fratris auxilio excitata celebratam illam *Διος απαιτην* instruit Iuno, cum cingulo Veneris ad Iouem profecta, illique amorem, et, Somni obsequio, soporem iniicit; per quem Neptunus Graecis tuto opem fert.

Lib. XV. Experrectus Iupiter et Neptunum discedere iubet, et Hectorem misso Apolline concitat. Inde *quintum praelium*, quo Hector naus puppimprehendit, quam defendit Ajax.

Lib. XVI. Scenam praebet campus ad Troiam.

Praelium oritur *sextum*. Achillis indutus armis Patroclus, postquam Troianos multos interfecisset, ad Troiae moenia progressus

VIII

gressus ab Hectore occiditur et spoliatur. Quae caedes summam vim habet ad mutandam belli faciem: nam Graecis restituit Achillem.

Lib. XVII. *Septimum praelium* circa iacentis Patrocli corpus repetito saepius impetu longe acerrimum.

Lib. XVIII. *Scena in Achillis tentorio, denique in aedibus Vulcani.*

Ad Achillem Antilochus missus perfert lugubre illud *πειτα Πατροκλος*. Iris Achillem succurrere iubet corpori iacentis, quo demum auferatur. Ille sine armis ad fossam properat: vbi Troianos tum conspectu suo, tum voce exteret ita, vt Graeci auferre corpus possint. Qui totam deinde noctem cum Achille luctui planctibusque indulgent.

Dies vicesimus nonus.

Thetis Achilli pollicetur arma noua, Vulcani in Olympo domum petit, qui, relictis rebus omnibus, per noctem fabricatur in primis scutum illud mirabile, quod describitur v. 478. sqq.

Dies tricesimus.

Lib. XIX. *Scena prope litus.*

Prima luce arma Thetis adfert Achilli: qui, excitatis ducibus, concionem habet, et acceptis donis Agamemnoni placatus, cum irae successisset vlciscendi Patrocli ardor, arma illa induit.

Lib. XX. *Scena est campus ad Troiam.*

E concilio Apud Iouem dii in duas partes discedunt, partim Achiuis, partim Troianis auxilio venturi. Nunc vero fit illarum commutatio. Adest Achilles. Hectorem quaerit. Primum cum Aenea congreditur, quem ei subducit Neptunus. Iam in Hectorem irruit, quem seruat Apollo. Post, ingenti strage edita, reliquos urbem versus fugat. Qui dii vtrinam parti fauerint, memoriae subiiciet tristichon,

Quinque

*Quinque fauent Graiis, sex Teucris numina profunt:
Hermes, Hephaestosque, Poseidon, Pallas et Here;
Phoebos, Ares, Xanthos, Leto, Artemis, hinc Aphrodite.*

Lib. XXI. Scena ab initio est modo ad ripam Xanthi, modo in fluuio ipso.

Partem Troianorum fugientium Achilles in fluuium pro-
pellit. Furem cum Xanthus, fluuii deus, prohibere parat,
vix a Vulcano seruatur Achilles. Epifodiu, deorum inter se
pugna, v. 385 sqq. Fugientibus Priamus portas aperiri iubet.
Apollo, quo persequentem Achillem ab vrbe arceat, obiicit ei
Agenorem: mox, surrepto hoc, sub ipsius specie paruo interuallo
praecurrens, eludit.

Lib. XXII. Scena est ad Troiae muros.

Hector, quem nec patris nec matris instantissimae preces
in urbem reuocant, extra portas Scaeas Achillem manet. Achil-
les illum ter circa urbem fugat, fugientem consequitur, necat,
et pedibus curru alligatum raptat per campum ad castra.

Lib. XXIII. Scena est ad litus.

Achilles epulas praebet funebres. Noctu in somnis ei ad-
paret Patroclus.

Dies tricesimus primus.

Exorto die mittit Agamemnon, qui ligna caedant, con-
vehant, exstruendo rogo.

Dies tricesimus secundus.

Concrematur rogo impositus Patroclus.

Dies tricesimus tertius.

Propofitis ab Achille praemiis, fiunt ludi funebres: certa-
men curule, pugilatus, lueta, cursus, hastarum pugna singularis,
disci denique, sagittarum, iaculi certamina.

B

Lib.

Lib. XXIV. Scena primum quidem in campo et tentorio Achillis, denique Troiae.

Discedunt, qui funeri ludisque interfuerant, cubitumque se conferunt. Sed luget Achilles, insomnemque ducit noctem.

Dies tricesimus quartus.

Sub diluculum Hectoris corpus currui alligatum circa Patroeli tumulum ter raptat. Quod institutum inde per *dies duodecim* continuos feruat v. 31, dum interea a corpore putredinem arceat Apollo. Iouis missu Thetis monet Achillem, vt corpus redempturo Priamo reddat: hunc pariter Iris, ad Achillem vt tendat, hortatur.

Dies quadragesimus septimus.

Nocte, quae diem sequitur, ingruente Priamus, comite Mercurio, ad Achillis venit tentorium. Quem hic coena excipit, et sub primum diluculum abducere corpus iubet. Concedit, quas ad peragendas filio exsequias petit, *dierum undecim* inducias. Defessus senex cum paullisper quietem cepisset, a Mercurio comituro fuscitatus, Hectorem suum in urbem abducit. Sequuntur exsequiae per dies illos undecim. Quos si superioribus addideris, tota summa erit, saluo errore calculi, *dierum quinquaginta septem*.

Atque istam dierum scenarumque interuallis distinctam rerum seriem qui cognouerit, plenius etiam intelliget, faciliusque memoriae mandabit versiculos, quibus IOACHIMVS CAMERARIVS vniuersi carminis summam vno adspectu oculis subiicit. Quos, quoniam in exemplis Homeri, quibus vtimur, deesse vidi, ex illius in librum I. Iliados commentariis, subiicio.

A. *Alpha preces Chryssae, pestis mala, iurgia regum.*

B. *Somnia Beta refert, coetum populique, ratesque.*

Γ. *Gamma sua pugnat pro coniuge uterque maritus.*

Δ.

- Δ. *Delta deum fora. Laesa fides. Primordia pugnae.*
 E. *Ei Venerem et Martem Diomedis tela cruentant.*
 Z. *Colloquium Hectoreum narrat cum coniuge Zeta.*
 H. *Hta vnus contra vim solus it Hectoris Ajax.*
 Θ. *Concio Theta deum. Troum vis. Hectoris ausa.*
 I. *Frustra ad Peliden legatio venit Iota.*
 K. *Cappa exploratum castra egrediuntur vtrinqve.*
 Λ. *Lambda duces Danaum proffigat Troica pubes.*
 M. *Ardua My Graium subuertunt moenia Teucrici.*
 N. *Clam Ioue Ny Danaos Neptunus viribus auget.*
 Ξ. *Iuno soporifero Xi fratrem fallit amore.*
 O. *Sentit O Neptunus Iunoque grauem Iouis iram.*
 Π. *Pi Marte insignem necat Hectoris hasta Patroclum.*
 P. *Rho Danaei cumulant et Troës Marte cadauer.*
 Σ. *Sigma Thetis nato Vulcania detulit arma.*
 T. *Tau ruit in pugnas, atque iram finit Achilles.*
 Υ. *P Superum exoritur bellum; vincuntque Pelasgi.*
 Φ. *Praelia Phi ripas ad fluminis vrget Achilles.*
 Χ. *Chi fugiens muros ter circum, caeditur Hector.*
 Ψ. *Psi ludos Danais funebres praebet Achilles.*
 Ω. *O patri, Aeacida placato, redditur Hector.*

De praeliis Homericis, cum vno die vicesimo octauo, commissa quinque praelia commemorauimus, repetimus illud, non esse ista ex nostris moribus iudicanda, vbi copiae concurrant inter se et configant vniuersae; sed certamina plerumque heroum fuisse singularia, qui vel forte obuui sibi facti essent, vel caussa quadam commoti, cum alter alterum inquisiisset, pugnam tanto acriorem inirent. Quod vel ex verbis vltro citroque nonnunquam factis in opinionem venire lectori debet. Augebatur tamen haud raro circa heroes ab vtraque parte pugnantium numerus: id quod, caesis Sarpedone maxime et Patroclo, factum legimus.

Vnitatem, quam dicunt artis magistri, quo modo in tanta carminis rerumque varietate seruauerit Poëta, diu ante, quam eius lex praescripta esset, vt semper lectoris animo praesens sit Achilles, ad ipsum omnia referantur, in libris singulis qui attendat, perspiciet.

In libro quidem primo fieri non potuit, quin personam principem ageret. In secundo sistit illum non tantum catalogus ducum, ita vt res ab eo gestas memorentur, sed mox etiam in recensu praestantiorum praestantissimus omnium numeratur. Non commemoratur Achilles nominatim in libro III. At qui recens a lectione superiorum accedit, dum primum copiae educuntur, non potest non cogitare de Achille, eumque desiderare absentem: atque haud scio, an ipsa, quae Paridi exprobat v. 54 imbellis cithara in memoriam reducat illam, qua Achilles heroum facinora canebat. In libro X (quod ad v. 50 adnotat Clarkius) ob oculos Agamemnoni versatur. In reliquis eius absentia quantum profit Troianis, quantum noceat Graecis, passim dicitur. Modo aliquod eius factum laudatur, modo cum ipso comparatur alius heros. In nono comparent veluti in theatro ipse, et missi ad eum legati. Tandem inde a libro XVI, quo Patroclum armis ornat suis, paulatim redire ad Graecos incipit. Bonam sane partem Iliados cursoria lectione repetent iuuenes, qui post statariam illam, susceperint laborem (si versare Homerum labor potius est, quam voluptas) quaerendi ista et adnotandi, quae inuimus, in singulis libris loca.

In Epifodiis vt amplissimum, sic longe pulcherrimum est illa *Διος απαιτη* (XIV 153 — 363). Hoc vt appareret, ipse Homerus Veneri surripuisse videatur cingulum illud, quo vsam scribit Iunonem, in quo delinimenta omnia, omnes blandiloquentiae suauitates inclusae essent. Vernaculo carmine epifodium hoc sub huius saeculi initia edidit, et tum Eustathii com-
men-

mentario Germanice conuerso, tum suis adnotationibus instruxit
Hamburgenfium quondam poëta CHRISTIANVS HENRICVS
POSTEL. Qui, vbi Danaën commemorat ab Ioue amatore
propter scitulos elegantesque pedes laudatam, eadem laude com-
mendari puellas ait ciues suas, quae, consentiente cultiorum na-
tionum suffragio, prae reliquis καλλισφυροι habeantur.

In personis Homericis iucundum est animaduertere chara-
cterem, morumque tum diuersitatem, tum constantiam, vt quales
ab initio processerint, tales ad imum feruentur. Excitat hoc
animum lectoris intenti, et expectationem erigit ex praesentibus
futura coniectantis. Itaque in hac morum notatione versati su-
mus ita, vt, ducendis hinc atque illinc tanquam oris lineamentis,
iustam viamque imaginem efficeremus. Reuocauimus hanc
subinde veluti ad minutam picturam et subtiliori penicillo ex-
pressam, quam poëta philosophus, Horatius noster, effinxit. Aga-
memnonem quam argute pinxit duabus vocibus (Sat. II, 3, 188.)
Rex sum. Vlyssēm vno verbo, cum *duplicem* dicit, (Od. I, 6, 7.)
Tydeiden (v. 15.) *Ope Palladis superis parem.* Ajax (Sat. I,
3, 193) est *heros ab Achille secundus.* Achilles vero duobus ver-
ficulis A. P. 121 sq. totus notatur. Nestorem vero intuitus vi-
detur in sene illo *laudatore temporis acti se puero.* Paris est *Ve-
neris praesidio ferox,* et Veneri debebat Helenen. Helenen vero
quam apte vereque expressit Od. IV, 9, 13 sqq. quae *comtos adul-
teri crines ardet, aurum vestibus illitum, regalesque cultus et co-
mites miratur.* Nec enim Helenen, formae sibi suae consciam,
falacitas et lasciuia ad amorem impulit, sed ambitio quaedam
commouit ad illiciendum illecebris suis iuuenem nitore cultuque
regio et pompa spectandum. Non conueniebat ipsi cum simpli-
citate Spartana, forte nec cum viri sui ingenio, non duro illo
quidem, at minus venusto, minus ad dicendas blanditias apto.

XIV

Pudoris non oblitam se ostendit in Iliade passim, talemque dedit Ovid. in Heroid. epist. XVII, quam Paridi scripsit.

Praeterea loca quaedam Iliados classica et exstantiora vel interpretandi, vel comparandi causa contendimus cum similibus in Aeneide, POPII consilium secuti, *Let your comment be the Mantuan Muse.* In quo magna nobis adiumenta attulerunt longaeque iucundissima HEYNII tum adnotationes, tum vero excursus. Quid maius optet amicus Homero lector, quam ut vir in hoc litterarum genere facile princeps illam ingenii sagacitatem, illam veri et pulchri sentiendi et interpretandi vim et elegantiam, quam quondam Tibullo, nuper Virgilio praestitit, ad edendum etiam ornandumque Homerum conferat. Equidem cerno iam animo, quanto inde illustriores futurae sint Homeri venteres; nec minus auctoritatis habituram auguror ex HEYNII thesauris proditam, quam apud antiquos habuit illa *ἐκ τῆς ναρθηκίος ἐκδόσεως.*

Inter versus, quibus poeta rem ipsam sono verborum ac numeris expressit, facile emineat is, quo iter impeditum per loca sursum, deorsum tendentia, tum transversa, tum obliqua faciunt, ad rogam Patrocli ligna mulis conuecturi (XXIII, 116):

Πολλὰ δ' ἀναντα, καταντα, παραντατε, δοχμια τ' ἤλθον.

Quem pulchre sane reddit POPIVS, et, linguae suae genio indulgens, asperius etiam profequitur:

First march the heavy mules, securely flow,
O'er hills, o'er dales, o'er crags, o'er rocks they go:
Jumping, high o'er the shrubs of the rough ground,
Rattle the clatt'ring cars, and the flockt axles bound.

In molliori lingua rem tamen sonoro verborum tanquam percussu expressit interpres Gallus BITAVBE', *ils vont gravissant, descendant, remontant, et suivant des chemins tortueux.*

Quos caesos vtrinque duces vidissemus, solemus nos in catalogo,

talogo, quo loco recensiti fuerant, adnotare. De reliquis post Iliados tempora quid factum sit, breuiter referemus. *Achilles* ad Troiam *Paridis*, *Paris* Philoctetae, sagittis percussus, periit. *Ajax Telamonius*, in lite cum *Vlyssè* de armis *Achillis*, ducum victus sententia, gladio se ipse confecit. *Priamum* in vrbis direptione *Pyrrhus*, *Achillis* filius, interemit. Post captam urbem qui conscensis nauibus abierant, *Ajax* quidem *Oileus* naufragio periit: *Agamemnon*, cum vix *Mycenas* rediisset, ab vxoris adultero occisus est: *Diomedes* *Argis* suis pulsus, in Italia *Daunorum* finibus confedit: *Antenor*, ad alias Italiae oras appulsus, *Patauium* condidisse traditur. Denique *Aeneas* in Italiam venisse, Romanae postea gentis auctorem, ex *Aeneide* constat. Ad suos tandem et in patriam reuerterunt *Vlyssès*, *Nestor*, et *Menelaus*. *Vlyssis* in *Ithacam* reditum tota canit *Odyssèa*: quae *Nestorem* pariter ad *Pylis* suos, et *Menelaum* *Spartam* rediisse, et hunc quidem vna cum *Helene* sua, post tot fortunae vicissitudines, vitam ibi placide suauiterque degisse, narrat. Nihil dulcius est festiuitate illa et colloquiis, quibus diuertentem apud se in peregrinatione *Telemachum* accipiunt, ac diutius commorantem tenent (Lib. IV.) Est haud illepidum epigramma in hoc par nobile coniugum poëtae Itali, quod Germanice HAGEDORNIVS, nos quondam Latine conuertimus:

Tornata a Menelao l' ingiusta Elena,
Dicea, di pianto, et di vergogna piena:
Ben fù rapita esta terrena Salma,
Mà sempre il cielo il sà, restò tua l' Alma.
Ed egli: Io il credo ben; mà a non celarte,
Mi lasciasti di te la peggior parte.

* * *
Perfida cum fuerat Menelao reddita tandem,
Adplorans Helene, plena pudoris ait:

Rapta

*Rapta mei pars haec, moles terrena, recessit,
At tua mens mansit, testor, amice, deos.
Ille, equidem credo; sed, ne quid denique celem,
Quam mihi seruasti, pars ea peior erat.*

Haec praefati subiecimus nomina ornatissimorum Iuuenum;
quorum caussa scripsimus.

Discesserunt e Christianeo nostro, in quo tum reliquis
scholis, tum Homericis laudabilem operam dederant.

Altero ab hinc auctumno

PAVL. CHRISTIAN. BVSCH,
SEGEBERGENSIS.

Vere superiori

CHRISTIAN. AVGVST. HENRICI,
ALTONANVS.

Proximo auctumno

ANTONIVS CAROLVS DVSCH,
ALTONANVS.

IOHANNES MELCHIOR REYE,
OTTERNDORFIENSIS.

Discedent hoc vere, orationes vltimas recitaturi,

GEORGIVS FRIDERIC. SCHVMACHER,
ALTONANVS.


De societatis indole et commodis, patrio sermone.

CHRISTIANVS FRIDERIC. MEYER,
HOHENWESTEDTENSIS.

De historiae usu latissime patente, lingua Latina.

Concioni litterariae vt praesentia sua splendorem imper-
tire, ac dicentes beneuole audire velint **VENERANDI**
GYMNASIARCHAE, MAECENATES, PATRONI,
FAVTORES LITTERARVM ET EXISTIMA-
TORES, pie et officiose rogantur.

P. P. a. d. IV. Iduum April. cIo Io cccxi.





Vnitatem, quam carminis rerumque var eius lex praescripta esse Achilles, ad ipsum ostendat, perspiciet.

In libro quidem principem ageret. In ducum, ita ut res ab recensu praestantiorum Non commemoratur recens a lectione super educuntur, non potest absentem: atque haud imbellis cithara in mer facinora canebat. In ob oculos Agamemnonum profuit Troianis, Modo aliquod eius factus alius heros. In non ad eum legati. Tamen armis ornat suis, partem sane partem Iliados statariam illam, fusc potius est, quam voluimus, in singulis

In Epifodiis v. illa Διος πατρι (X) Homerus Veneri scribit Iunonem, in loquentiae suauitate fodium hoc sub hui

magistri, quo modo in tanta fuerit Poeta, diu ante, quam per lectoris animo praesens fit atur, in libris singulis qui at-

ri non potuit, quin personam tit illum non tantum catalogus memorentur, sed mox etiam in tiffimus omnium numeratur. minatim in libro III. At qui ccedit, dum primum copiae re de Achille, eumque desiderare sa, quae Paridi exprobat v. 54 ucat illam, qua Achilles heroum quod ad v. 50 adnotat Clarkius)

In reliquis eius absentia quantoceat Graecis, passim dicitur. tur, modo cum ipso comparatur ut veluti in theatro ipse, et missi e a libro XVI, quo Patroclum re ad Graecos incipit. Bonam tione repetent iuvenes, qui post prem (si versare Homerum labor erendi ista et adnotandi, quae in-

um, sic longe pulcherrimum est - 363). Hoc ut appareret, ipse leatur cingulum illud, quo usam inimenta omnia, omnes blandi essent. Vernaculo carmine epitia edidit, et tum Eustathii comen-

